INSTITUTUM

FRATRUM MARIANORUM

SUB TITULO

IMMACULATAE CONCEPTIONIS

BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.



PETROPOLI. 1910.

Typis C. Birkenfeld (Bas. Ostr., 8 lin., n. 1).

INSTITUTUM

FRATRUM MARIANORUM

SUB TITULO

IMMACULATAE CONCEPTIONIS

BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.



PETROPOLI. 1910.

Typis C. Birkenfeld (Bas. Ostr., 8 lin., n. 1).

PARS PRIMA.

De natura Congregationis et de modo ad ipsam accedendi et in ea vivendi.

CAPUT I.

De fine Congregationis et de Sanctis Patronis.

1. Finis primarius et generalis Congregationis Fratrum Marianorum sub titulo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis est promotio gloriae Dei et sanctificatio membrorum suorum per observantiam trium votorum simplicium: paupertatis, castitatis, obedientiae atque propriarum Constitutionum.

2. Finis vero Congregationis secundarius et specialis constituitur in caritatis operibus erga Deum et erga proximum, praecipue autem est promotio studii et profectus scientiae, instructio aliorum, et adiutorium praestandum clero saeculari in cura animarum.

3. Ad quem finem Congregatio tendit potissimum edendo libros et dirigendo folia catholica;—fundando et dirigendo varii generis scholas, collegia et instituta; — fundando et

dirigendo catholicos circulos et assotiationes tum iuventutis tum adultorum; — tradendo doctrinam christianam, praedicando verbum Dei, instituendo praelectiones, dirigendo exercitia spiritualia, excipiendo confessiones atque alio quocumque modo impense incumbendo saluti et perfectioni proximorum.

4. Congregatio peculiari modo venerabitur: Spiritum Sanctum, SS. Cor Jesu, Beatam Virginem Mariam Immaculate Conceptam, SS. Apostolos Petrum et Paulum, S. Thomam Aquinatem, S. Franciscum Assisiensem, S. Ignatium de Loyola, S. Vincentium a Paulo.

5. Peculiari devotione Congregatio haec festa celebrabit: Pentecosten, festum S. Corporis Jesu, SS. Cordis Jesu, Assumptionis B. V. M., Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae cuius cultum speciali modo propagabit, atque SS. Apostolorum Petri et Pauli.

CAPUT II.

De membris Congregationis.

6. Omnia huius Congregationis membra unam tantum categoriam constituunt et sub eadem communi disciplina vivunt: — neque differunt inter se nisi vocatione, cum alii sint clerici alii laici, pariter atque muneribus occupationibusque exercendis, cum, pro sua quisque capacitate et indole necnon superiorum ordinatione, alii potissimum mentis et animi alii corporis et manuum operibus incumbant.

7. Pro exterioribus negotiis et operibus, Congregatio pios viros sibi addicit, quibus certam vivendi formam praescribit et meritorum propriae Congregationis participationem concedit.

8. Ordo praecedentiae in Congregatione in sacris coeremoniis et functionibus hic servetur: superior generalis, eius assistentes, officiales generales, superiores provinciales et locales respective iuxta prioritatem temporis, ex quo sint praepositi; — dein fratres clerici, tum fratres laici, utrique iuxta ordinem professionis; novitii clerici et laici iuxta tempus ingressus in novitiatum; tandem postulantes iuxta ordinem eorum admissionis.

9. Coram personis non pertinentibus ad Congregationem, exceptis superioribus ecclesiasticis et confessariis, fratres vocationem suam religiosam sine licentia superiorum non produnt.

CAPUT III.

De admissione aspirantium ad Congregationem.

10. Conditiones, quibus candidati ad hanc Congregationem adspirantes ornari debent, hae sunt: vera vocatio a supernaturali fine procedens; baptismus, confirmatio, morum honestas, status libertas; bona indoles, ingenii capacitas ad studia vel ad aliquam artem addiscendam et sufficiens valetudo ad onera Congregationis ferenda; qui inter clericos admitti volunt, studia primaria et gymnasialia, quantum fieri potest, ex integro peracta habere debent, ut infra dicetur cum de studiis.

11. A postulantibus exigitur: 1° fides suscepti baptismatis; 2° confirmationis; 3° testimonium bonorum morum, datum vel a curia episcopali, vel a parocho, vel etiam, si aliter fieri nequeat, ab aliis ecclesiasticis viris; 4° testimonium status liberi, nisi de eo aliter certo constet.

12. Nemo ad novitiatum admittatur sine testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in

quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

13. Sine dispensatione Sanctae Sedis admitti non possunt in Congregationem: 1° illegitimi non rite legitimati; 2° matrimonio ligati; 3° minores quindecim annorum aetate; 4° qui in alia Congregatione vota perpetua, sive etiam temporaria emiserunt, iis perdurantibus; 5° aere alieno gravati, cui solvendo non sint; 6° reddendae rationi obnoxii, aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias Congregatio timere possit.

14. Pariter nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis professionis, recipiantur sive ad probationem, sive ad novitiatum, sive ad emissionnem votorum postulantes:

1) qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint;

2) qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint;

3) qui, sive ut professi, sive ut novitii, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissi fuerint; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint;

4) qui iam admissi, sive ut professi, sive ut novitii, in unam provinciam Congregationis et ab ea dimissi, in eandem vel in aliam eiusdem Congregationis provinciam recipi nitantur.

15. Pro admittendis novitiis qui statum clericalem suscipere debent, si aliqua irregularitate detineantur, requiritur Sanctae Sedis dispensatio.

16. Non sunt recipiendi tum clerici tum laici nati annos amplius triginta sex.

17. Super impedimentis et defectu conditionum, quae S. Sedi non sunt reservata, Superior generalis cum suis Assistentibus, ex iusta causa, dispensare valet.

CAPUT IV.

De postulantibus.

18. Ad admissionem postulantium requiritur et sufficit licentia superioris generalis, vel superiorum provincialium in suis provinciis.

19. Tempus postulatus sex menses perdurat. Superior Generalis, ex iusta causa, hoc tempus aliquando prorogare poterit in casibus particularibus; sed prorogatio sex menses non excedat.

20. Postulantium probatio fit in aliqua domo Congregationis, in qua notabilis fratrum numerus moratur et disciplina iuxta constitutiones religiose servatur, sub speciali cura alicuius probati fratris.

21. Tempore postulatus candidati instruendi sunt in rebus, quae religionem et spiritus profectum respiciunt; praesertim tradenda est eis saltem generalis Constitutionum cognitio pariter atque votorum et peculiaris Congregationis scopi, spiritus et exercitiorum notitia.

22. Durante probatione observandi sunt candidati, num idonei sint ad opera et onera Congregationis suscipienda; num sint capaces ad studia peragenda vel ad aliquam artem addiscendam; num sint tractabiles, recti de rebus iudicii, prudentes, discreti, probi, propensi ad bonum spirituale et virtutes sectandas.

23. Cavendum est praesertim a candidatis, qui sunt superbi, pertinaces, ficti et occulti ingenii, animo tristi maestoque, inconstantes, vana et inepta somniantes, inepte et perperam omnia diiudicantes, tardi ingenii et incapaces.

CAPUT V.

De habitu.

24. Quoad vestitum, fratres non differunt ab aliis personis eiusdem conditionis et aetatis; sed uniuscuiusque vestitus muneri et occupationibus accomodetur pariter atque simplicitate et modestia emineat oportet.

25. Cum novitiatum incipiunt fratres numisma cum effigie ex una parte SS. Cordis Jesu, ex altera B. Mariae Virginis Immaculate Conceptae obtinent, cum vero prima vota temporaria nuncupant recipiunt simplicem crucem.

CAPUT VI.

De novitiis et novitiatu.

26. Ad novitiatum ne admittantur candidati, nisi qui bene sunt noti et quorum constantia bene est probata.

27. Admissio postulantis ad novitiatum deciditur a Consilio Generali pluralitate votorum secretorum; quo in negotio perpendenda est diligenter opinio illius fratris, sub cuius vigilantia et directione candidatus manebat.

28. Novitiatus perdurat integrum annum; qui, ex iusta causa, et cum voto deliberativo Consilii Generalis, prorogari potest, in casibus particularibus, sed non ultra tres menses.

29. Tempore huius anni novitii exterioribus Congregationis operibus non applicabuntur, sed omnino eum annum dicabunt, sub directione magistri novitiorum, formationi spiritus, studio Constitutionum, orationi, institutioni circa vota et virtutes, exercitationibus opportunis ad emen-

dationem defectuum, ad compescendas passiones, ad virtutes acquirendas et ad conformandam excolendamque suam indolem; porro curabunt excitare, fovere et augere in suo animo zelum et ardorem ad ea, quae expectant Congregationis labores et onera subeunda, pariter atque instruentur circa modum et rationem sese inter homines gerendi et cum eis conversandi, circa viam et artem hominum mentes convincendi et ad Deum pertrahendi.

30. Novitii traducere debent integrum tempus novitiatus in domo ad hoc probata a Sacra Congregatione.

31. Candidati antequam novitiatum incipiant, exercitia spiritualia peragant per decem dies.

32. Praemittant etiam, iuxta prudens iudicium confessarii, generalem anteactae vitae confessionem.

33. Non tenentur tamen suae conscientiae statum manifestum facere magistro novitiorum, nec moderatoribus Congregationis, neque ipsis anteactae vitae suae rationem reddere, neque ad hoc induci possunt.

34. Antequam postulans ad novitiatum admittatur, praefectus convenire potest cum ipso et cum eius parentibus sive tutoribus de expensis solvendis pro victu et vestitu usque ad professionem; super qua tamen re Superior Generalis potest candidatum dispensare.

35. Pecunias, indumenta, supellectilem et res alias, quas postulans secum affert, praefectus diligenter adnotet et custodiat, neve eidem relinquat nisi ea, quae ipsi soli ad usus sunt necessaria, ne quid vero ex eis rebus aliis fratribus utendum tradat; ut omnia reddantur ipsi postulanti, si exeat a Congregatione non emissa professione.

36. Ut cautum sit libertati tum candidati tum etiam Congregationis, nulli accipiuntur actus donationis, quibus candidatus dominium rerum suarum transferat ad Congregationem, antequam professionem votorum emiserit.

37. Tempore tirocinii novitii subiciuntur directioni, correctioni et vigilantiae magistri novitiorum.

38. Si quando superior loci necessaria aliqua novitiis providere voluerit, tunc, assumpto aliquo ex senioribus fratribus, comite tamen magistro, cuius actoritatem semper tueri studebit, cellas novitiorum visitabit, munditiem et necessaria observabit; sed nihil de ullo eorum disponet, quod prius non communicaverit magistro.

39. Praeter magistrum et submagistrum alii professi fratres non habitent intra septa novitiatus. Multo minus in eisdem septis concludantur fratres professi, qui correctione vitae indigent vel culparum poenas luere debent.

40. Singulis novitiis ab ipso probationis exordio detur integrum exemplar Constitutionum Congregationis, ut eas legere et meditari valeant, et explicationes a magistro desuper faciendas utilius sequantur. Ante professionem quilibet novitius examinabitur, num ipse vota bene intelligat, modumque quo ea ligent, atque num Constitutiones probe cognitas habeat.

41. Durante novitiatus anno omnes professi, qui in domo novitiatus habitant quatuor vicibus in anno de unoquoque novitio iudicium suum pandeant. Vota haec coram Consilio Generali tamquam informativa praesentabuntur.

42. Novitius, cui huiusmodi informationes non faveant, opportuno tempore admoneatur, ut sese corrigere possit.

43. Si vero durante tempore novitiatus nec sese emendaverit nec ullam bonam sui spem faciat, a Congregatione dimittendus est, absoluta pluralitate suffragiorum secretorum Consilii Generalis.

44. Qui vero in ultimo scrutinio pluralitatem votorum favorabilium Consilii Generalis obtinuerint, admittendi sunt ad professionem.

45. Antequam professionem emittat, novitius debet de

bonis suis temporalibus disponere ut dicetur infra cum de voto paupertatis.

46. Necesse non est, novitiatus locum constituere in domo principe; sed designanda est ad hoc domus, quae ad novitiorum institutionem aptior videtur.

47. Congregatio non adstringitur ad habendam unicam domum novitiatus.

48. Attamen ad erigendam novam domum novitiatus, et ad transferendum noviciatum iam existentem in aliam domum, requiritur beneplacitum Sanctae Sedis.

CAPUT VII.

De emissione votorum.

49. Elapso integro novitiatus anno et praemissis decem dierum exercitiis spiritualibus, novitius qui inventus est habilis, accedat ad emittenda tria simplicia vota annualia: paupertatis, castitatis et obedientiae.

50. Formula professionis haec est: Ego frater N. N. coram Beatissima Virgine Maria, Sanctis Apostolis Petro et Paulo et Omnibus Sanctis, voveo Deo Omnipotenti tria vota simplicia: paupertatis castitatis et obedientiae, secundum Constitutiones Congregationis Fratrum Marianorum sub titulo Beatae Mariae Virginis Immaculate Conceptae,— ad annum—vel respective: ad triennium, vel in perpetuum.

51. Professio fit in manibus Superioris Generalis vel fratris ad hoc ab eo deputati, acceptantis nomine Congregationis.

52. Tria praedicta vota emittuntur a singulis fratribus ad annum per periodum sex annorum; tamen post tres

annos votorum annualium fieri potest, si qui frater cupit et Consilio Generali id placet, professio triennalis.

53. Post sex annos votorum temporaneorum, frater admittendus est, probante id Consilio Generali, ad vota perpetua, si dignus est; si non est dignus, vel ipse vota emittere nolit, dimittendus est a Congregatione.

54. Qui in maioribus ordinibus iam constituti in Institutum sunt ingressi, post triennium votorum temporaneorum, possunt probante id Consilio Generali admitti ad vota perpetua.

55. Superiores non possunt litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, nisi illis tantum alumnis, qui vota perpetua iam emiserint et propriae Congregationi stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis; quo triennio expleto qui ordinandi sunt, antequam Sacros Ordines suscipiant, vota perpetua probante id Consilio Generali emittere tenentur.

56. Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut ille alumnus vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a Congregationis Constitutionibus praescripto pro professione votorum perpetuorum.

57. Statim ut vota ad certum tempus emissa expirant, sine interposita mora renoventur a singulis fratribus et quidem publice.

58. Non admittitur renovatio secreta votorum; de ea constare debet in foro externo. Propterea post quamcumque votorum emissionem vel renovationem inscribatur actus de ea testimonium faciens in libro apposito a Moderatore vel illius delegato et a vovente subsignandus.

59. Praeter hanc renovationem votorum iuridicam, ex

devotione omnes fratres renovabunt sua vota in communitate et solemniter semel in anno: die Pentecostes vel die Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae; singuli vero et private quoties peragunt suam menstruam recollectionem spiritus.

60. Tria praedicta vota simplicia: paupertatis, castitatis et obedientiae, emissa sive ad tempus sive in perpetuum, reservata sunt Sanctae Sedi. Recurrendum igitur est ad Sacram Congregationem pro eorum dispensatione.

CAPUT VIII.

De studio Professorum.

61. Iam tempore postulatus et novitiatus diligenter inquirendum est, quaenam sint naturales inclinationes candidatorum, quasnam acceperint illi a Deo dotes et talenta, ut haec prudenter excoli et serius ad maiorem Dei gloriam et animarum bonum convenienter adhiberi possint.

62. Facta professione fratres, praeter ulteriorem perfectionis acquisitionem virtutumque exercitium, quod semper primo loco ponendum est, etiam necessariis applicentur studiis: laici etiam profundius et magis penitus imbuantur doctrina christiana, instruantur ad munera obeunda vel addiscant aliquam artem; clerici vero incipiant regulare studiorum curriculum.

63. Professi ad sacros ordines non praesententur, nisi praeter alia a iure statuta, saltem per annum sacrae Theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

64. Triennio theologico rite completo, etiam si susceperint ordinem presbyteratus, iidem studentes tenentur adhuc per quartum annum scholasticum theologicis studiis incumbere, ita ut complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendat necesse sit.

65. Nomine vero regularis aliorum studiorum curriculi, intelligenda sunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaeale rite non expleverit; neque legalia erunt philosophica seu lycaealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit.

66. Ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum seu scholam.

67. Studia primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum, quantum fieri potest, ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debent. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permitti potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur qui annum quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo: a) decimum quintum aetatis annum excesserit; b) statim post novitiatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale adscendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum

litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; c) et finale periculum bene superet.

68. Praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta, valorem legalem non habent. In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad Sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accesoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta; tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore Generali, accedente voto deliberativo sui Consilii.

69. Ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lycaealium et humaniorum litterarum seu gymnasialium, non sufficit disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, sed requiritur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accesoriae iuxta normas a Sede Apostolica sancitas.

70. De uniuscuiusque studiosi propensionibus, talentis et progressu praefectus studiorum vel superior domus ad Consilium Generale statutis temporibus referat.

71. Qui propensum animum et sufficientem capacitatem habent ad aliquam disciplinam vel artem specialem, in qua insignes et utiles evadere possunt, probante id Consilio Generali, in eadem penitus addiscenda cognoscendaque diutius versari poterunt.

72. Fratres qui sacris ordinibus initiantur, quantum fieri potest, gradus litterarios in aliqua publica et approbata universitate acquirendos curent.

89. Quidquid fratres post emissa vota, industria sua vel intuitu Congregationis acquisiverint, non possunt sibi adscribere vel reservare, sed ea omnia communitatis bonis adiudicanda sunt ad communem Congregationis vel domus utilitatem.

90. Ac proinde nullus fratrum audeat quidquam, sine superiorum consensu et licentia, apud se retinere vel sibi appropriare.

91. Si quis votum paupertatis transgrediatur, recipiendo, servando vel dando alicui aliquam rem, sine Superiorum scitu et permissione, pro gravitate culpae et pro circumstantiis corrigatur.

92. Omnia in Congregatione communia sint quoad supellectilem, victum et vestitum. Congruit tamen singulis, in communi quidem custodia, sed separatim servare et distribuere vestes stricti usus personalis.

93. Virtutem quoque paupertatis fratres diligenter in praxim deducant et colant et, quod praecipuum in ea est, cor suum a quibuscunque divitiis, a quocumque bono materiali avellere studeant.

94. Supellex, victus, vestitus et omnia, quibus illi permittentibus superioribus utuntur, paupertati conveniant, nihilque superflui in eis sit; sed ex altera parte nihil etiam fratribus denegetur, quod revera sit necessarium ad vitam convenientem agendam.

95. Quae illis ad usum fuerint concessa, nitide, integre et quantum fieri potest diuturne conservent; curent, ne quid culpa vel negligentia eorum pereat aut corrumpatur.

96. Mundities religiosa in omnibus curetur; sordida paupertas nemini placere debeat.

97. Superiores cum paterna sollicitudine curare debent, ut omnibus fratrum necessitatibus temporalibus, tum quoad

victum, tum quoad vestitum et alias res, quantum fieri potest, satis fiat, tam in valetudine quam in morbo.

98. Simul etiam invigilent superiores, ne quid in istis rebus superflui irrepat, sed ut omnia spiritui paupertatis quam profitentur, conveniant.

CAPUT X.

De voto et virtute castitatis.

99. Per votum castitatis frater professionem emittens se adstringit ad servandum coelibatum, et insuper novo titulo, id est ipsius voti, ad abstinendum a quocumque actu castitati opposito.

100. Quo magis fratres periculo obnoxii sunt ob frequentiorem cum saecularibus personis utriusque sexus conversationem, erga quas sui ministerii opera exercent, eo maiore cum studio curent in virtute castitatis confirmari: nullis periculis eam exponendo, quamcumque eius maculam diligenter praecavendo, atque adhibendo opportuna media ad eam conservandam colendamque.

101. Ad hanc angelicam virtutem possidendam et conservandam plurimum quemque iuvare poterit oculorum modestia, animi frequentissima ad Deum elevatio, fuga otii, confabulationum, inutilis lectionis, periculosae conversationis prudens declinatio.

102. Fratres vitare debent superfluas visitationes, singularia urbanitatis signa, personalia munuscula et praesertim familiaritatem cum mulieribus; insuper curent ubicunque tantam prae se ferre gravitatem et animi recollectionem, ut quamvis nimiam familiaritatem arceant.

103. Observent quoque fratres modestiae praescripta

per gravem, decentem urbanamque sui ipsius compositionem.

104. De quocumque periculo externo, quod virtuti castitatis cuivis fratri immineat, semper superiores certiores sunt reddendi.

105. Diligenter advertant superiores, ne quemquam in tantae virtutis discrimen praecipitent, aut in eo positum negligant; hinc omnia vel minima scandala abscindant et quosque in hoc genere suspectos, matura prius consideratione adhibita, quantocius corrigant, amoveant et alio mittant; bene tamen attendant, ne hac in re levibus suspicionibus moveantur.

CAPUT XI.

De voto et virtute obedientiae.

106. Per votum obedientiae frater assumit obligationem obediendi praeceptis legitimorum superiorum in iis, quae pertinent directe vel indirecte ad vitam Congregationis, hoc est ad observantiam votorum et Constitutionum.

107. Vi voti tenentur fratres obedire tunc tantum cum legitimus superior praecipit expresse «in virtute sanctae obedientiae» vel «sub formali praecepto», aut verbis aequivalentibus, iuxta proprias Constitutiones.

108. Raro, caute ac prudenter superiores praecipiant «in virtute sanctae obedientiae» et nonnisi ex gravi causa. Expedit praeterea, ut formale praeceptum imponant in scriptis, vel saltem coram duobus testibus.

109. Superiores locales, praesertim parvarum domorum, ab imponendis formalibus praeceptis se abstineant.

110. Ex virtute obedientiae fratres tenentur obligatione adimplendi dispositiones Constitutionum pariter atque dispositiones et praecepta superiorum, non solum ea, quae hi in virtute obedientiae praescribunt, sed etiam ea omnia, quae iuxta proprias Constitutiones et spiritum Congregationis sunt praecepta. Similis obedientia debetur etiam vicariis, dum hi superiorum vices obeunt, necnon fratribus officialibus in eis, quae eorum officium spectant.

111. Nemo praeter eos, qui a superiore facultatem acceperunt, aliis praecipiat vel alios reprehendat.

112. Fratres dependebunt a superioribus quod attinet ordinem occupationum, epistolas scribendas, relationes cum exteris, exercitia spiritualia, mortificationes publicas, studia, ministeria aliasque res non necessario coniunctas cum officiis ordinariis: ad haec omnia requiritur specialis licentia superiorum.

113. Nullam maioris momenti rem agendam, neque sua consilia et proposita exequenda fratres suscipiant, nisi cum scitu et consensu superiorum; pariter nullum negotium, ministerium vel curam ex proprio arbitrio suscipiant, promittant, vel ad ea se offerant, nisi prius, quantum fieri potest, a superioribus impetrata licentia.

114. Ad quotidianas vero actiones, quae ex praecepto ordinarie peragi solent, vel ex officiis commissis profluunt, licentiam petere fratres non tenentur. In casibus dubiis acquiescere possunt licentiae interpretativae cum intentione tamen superiores postea de hac re certiores reddendi.

115. Licentiae stabili modo concessae valent donec revocentur, neque renovare eas opus est, nisi novis superioribus informationis gratia. Si frater transit ex una domo in alteram, tunc licentiae denuo sunt expetendae.

116. Frater, cui unus superior aliquam rem denegaverit, non secus ad alium superiorem poterit cum eodem

negotio recurrere, nisi prius indicaverit, quid ipsi prior superior responderit et nisi exposuerit, quae rationes ipsum adpellant ad iterum idem negotium tractandum.

117. Fratres semper possunt suos superiores adire cum fiducia ad petendum ab eis consilium et sententiam atque ad exponendum eis cum simplicitate suas difficultates et necessitates tam spirituales quam corporales.

118. Si cui fratri aliquod opus vel consilium exequendum in animum venerit aut sese obtulerit, quod ad Dei gloriam et proximorum salutem futurum esse utile existimaverit, re bene perpensa in Domino, illud superioribus proponere poterit, totam rem plane eorum iudicio relinquens.

119. Superiores praecepta quae edunt bene antea perpendant; ad vires, talenta et qualitates subditorum et ad Instituti bonum attendant; subditorum rationes libenter audiant, studeantque erga eos in omnibus paternum exercere affectum.

120. Si quis vere gravatum se ab aliquo superiore esse senserit, id aut patientissime pro merito vitae aeternae ferat; aut modeste eidem superiori quo prematur, per se vel per alium aperiat, quatenus is debito moderamine utatur, aut, si mederi nolit, ad Superiorem Generalem vel eius Assistentes recurrat, qui pro sua prudentia res componant et in Domino remedium afferant.

121. Si quid controversiarum aut defectuum acciderit, id intra demesticos lares, ordinario modo pacifice, in charitate et iuste componatur ac corrigatur, salvo recursu ad maiores superiores et ad Sanctam Sedem.

122. Nullus quidquam agat vel praetendat, nec indirecte quidem, ut in aliquam praelationem in Congregatione eligatur vel promoveatur, sub poena amittendi ius activae et passivae vocis.

123. Nemini licet dignitatem ullam extra Congregationem curare vel praetendere, neque sibi oblatam sine speciali Consilii Generalis permissione et approbatione accipere.

CAPUT XII.

De Confessione et Communione.

124. Fratres sacramentalem confessionem peragant ordinarie semel in hebdomada.

125. Ordinarie omnes fratres confessariis propriae Congregationis confiteantur, qui duo aut tres, pro maiore vel minore subditorum numero, a supurioribus in singulis domibus deputentur, iique sint docti, prudentes ac caritate praediti et habeant facultatem absolvendi in foro interno a reservatis.

126. Quoties frater quidam pro animi sui quiete atque ulteriore in via Dei progressu vel ut quocumque modo propriae conscientiae consulat, confessarium extraordinarium postulaverit, superiores hunc illi non denegent, quin ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent.

127. Quoties fratres in itinere sunt aut extra domum versantur apud quemcumque sacerdotem ab episcopo approbatum confiteri poterunt, sed quantum fieri potest, curent ut stabilem habeant confessarium.

128. Fratribus in gravi morbo consitutis superiores ultro sponteque aliquem extraordinarium confessarium offerant, vel ab ipsis petitum concedant.

129. Superiores ne excipiant confessiones suorum subditorum, excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eorum conscientia oneratur et nisi quando ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab ipsis petierint.

130. Ad Sacram Synaxim omnes fratres non presbyteri, quantum fieri potest, singulis diebus dominicis, festivis pariter atque diebus Congregationis solemnibus accedant.

131. Sed curabunt fratres illi frequentius ad Sacram Synaxim accedere, etiam quotidie, si fieri potest, iuxta confessarii iudicium.

132. Sicut fratres clerici ante et post Missam, ita laici ante et post Communionem curabunt tum praeparationem, tum gratiarum actionem per congruum tempus faciendam.

CAPUT XIII.

De aliis exercitiis pietatis in Instituto peragendis.

133. Omnes fratres quotidie orationi mentali per dimidiam horam mane vacent; post meridiem vero visitationem SS. Sacramenti cum oratione mentali per aliquod tempus faciant.

134. Quotidie etiam lectioni spirituali vacent saltem per viginti minuta in libris approbatis. Diebus quibus exhortationem, concionem aut doctrinae christianae expositionem audiunt, ad lectionem spiritualem faciendam non obligantur.

135. Singulis mensibus fratres per unum diem recollectioni spirituali vacent. Quotannis omnes tempore a superioribus statuto octo dierum exercitia spiritualia peragant, vel in communitate vel separatim.

136. Orationi etiam *vocali* fratres devote incumbant; nimirum: qui sunt in sacris quotidie recitent Officium Divinum iuxta Breviarium Romanum; ceteri omnes officium constans 12 Pater, Ave, Gloria et unico Credo; omnes quotidie mane et vespere convenientes actus et preces

dicant; omnes quotidie ter in die «Angelus Domini» recitent; item orent semper ante et post mensam; omnes tertiam partem Rosarii devote considerando mysteria convenientia quotidie recitent.

137. Quantum fieri potest, omnes sacerdotes quotidie Missae sacrificium celebrent; ceteri omnes fratres quotidie Missae sacrificio intersint et tempore eiusdem saltem spiritualiter sacram communionem recipiant.

138. Missas omnes iuxta applicationem superioris localis fratres ad intentionem Conventus celebrabunt, nisi aliter superiori generali vel locali videbitur.

139. Item omnes examen conscientiae particulare meridie, generale vero vespere quotidie instituant.

140. Superiores poterunt fratribus id petentibus etiam alia pietatis exercitia sive ad tempus sive constanter facienda permittere, quae ad eorum profectum spirituale futura esse utilia arbitrentur.

141. Superiores curent cuique fratri concedere congruum tempus liberum ad pietatis exercitia peragenda, ne quis lectione spirituali et oratione, praesertim mentali, privetur.

142. Quanto minus pietatis exercitiorum, ad quae obligentur, fratres huius Congregationis habent, tanto magis curent suas cogitationes, sensus, verba et opera continuo in Deum dirigere.

143. Commendatur fratribus, ut in suis precibus tam obligatoriis quam voluntariis Deo commendent necessitates S. Matris Ecclesiae, Summi Pontificis, universi cleri et propriae Congregationis, potissimum vero, ut orent pro unitate Ecclesiae et propagatione fidei, tum pro animabus in purgatorio detentis.

144. Commendatur quoque fratribus, ut indulgentias ab Ecclesia concessas pro posse lucrandas curent, easque pro defunctis applicent.

CAPUT XIV.

De mortificatione et poenitentiis.

145. Praeter abstinentias et ieiunia, ad quae iuxta praxim Ecclesiae et loci omnes fideles tenentur fratres nulla alia ordinaria ieiunia, vigilias, poenitentias vel corporis afflictiones vi Constitutionum subeunda habent; sed illas sibi quisque mortificationes corporales assumere poterit, quas sibi discreta charitas suggesserit et quas ad sui spiritus profectum magis utiles esse iudicaverit.

146. In ordinariis mortificationibus seu poenitentiis corporalibus privatim exercendis, fratres semper consulant confessarium cuius iudicio omnino regantur; ubi dubium acciderit, quid magis conveniat, res ad superiorem referatur; — pro externis autem et publicis poenitentiis seu mortificationibus, fratres semper superioris licentia indigent.

147. Victus moderatus sit; tum qualitas, tum quantitas ciborum iuxta locorum aut valetudinis necessitatem praebeatur. ratione religiosae frugalitatis habita.

148. Fratres saecularium epulas devitent, invitationes ab externis acceptas ad prandium seu coenam sine licentia superiorum non accipiant; temperantiae et sobrietati ubique studeant; ordinarie, quantum fieri potest, a potu alcoholico abstineant.

149. Quantum fieri potest, mensa communi sint contenti neve ullos cibos extra horas statutas sumant sine necessitate et licentia superiorum.

150. Fratres ter vel quater in die cibo sese reficere possunt.

151. Dormient a septem ad octo horas, nisi cui su-

perior id temporis spatium protrahere aut coarctare vel etiam die quietem capere concesserit.

152. Praeter externae mortificationis actus, quos exercebunt, potissimum fratres operam dent mortificationi internae, sua desideria, inclinationes, concupiscentias moderando, suos sensus diligenter invigilando.

153. Exercebunt quoque fratres mortificationem diversi generis incommoda et defatigationem ex labore provenientia, varias molestias et difficultates in muneribus obeundis, morbos et corporis infirmitates patienter tolerando in spiritu poenitentiae et suimetipsorum sacrificii.

154. Fratres singulis mensibus habebunt capitulum culparum, in quo singuli suas Constitutionum transgressiones externas et publicas profitebuntur atque pro eis quandam moderatam poenitentiam obtinebunt. De transgressionibus et poenitentiis in capitulo auditis fratribus ne inter se quidem colloqui fas est.

CAPUT XV.

De adiumentis pro tuenda disciplina et vita spirituali fratrum.

155. Superiores verbo et exemplo curabunt, ut Constitutiones stricte observentur, quod est eorum munus praecipuum.

156. Ne vitiis subditorum superiores conniveant, sed errantes omni cum prudentia et caritate tempestive corrigant; pariter et ipsi fratres, servatis debito ordine et charitate, correctionem fraternam invicem exerceant.

157. Curandum est, ut in omnibns domibus pars quaedam pro ipsis solum fratribus reservata sit.

158. Non est permittendum ut feminae fratrum domos ingrediantur etsi paucissimus sit eorum in domo numerus; sed saltem in separato locutorio extra illam partem domus, quae solis fratribus reservata est, excipiantur, cum id necesse est.

159. Nemo quae domi acta vel agenda sunt externis personis referat, nisi superiori id probari intelligat.

160. Singulae res in domo assignatum sibi locum habeant et alicui fratri demandentur, qui earum curam habeat, ne pereant, sed ut semper ordinatim collocatae sint, et ut quae destructae vel corruptae sint reparentur.

161. In quavis domo statuatur tempus, quoad eius fieri poterit, edendi, cubandi, surgendi, quod communiter omnes observent, item probante id superiore componat sibi quisque, quantum fieri potest et id necesse est, suorum exercitiorum et occupationum ordinem.

162. Fratres quantum potest accuratam diligentiam servabunt: in observando diurno ordine exercitiorum et occupationum, in conficiendis et reddendis rationibus accepti et expensi, in conscribendis retinendisque indicibus rerum, quae ipsorum usui vel dispensationi sunt datae; in obeundis singulis suis muneribus.

163. Eandem accuratam diligentiam observabunt: in exsolvendis eis quae cuilibet debent, in reddendis rebus mutuo sumptis, in rescribendo ad epistolas, in negotiis mandatisque acceptis exequendis.

164. Statutis temporibus a Superioribus officia subditis aliaque obsequia obeunda distribuantur; nec non ordo Missarum congruo tempore successive dicendarum disponatur.

165. In alterius officium nemo se ingerat; neque in locum alicuius ministerio deputatum quis sine facultate superiorum ingrediatur.

166. Sine permissione superioris non licet cuique fratri e domo exire, neque quemquam invisere, neque invisentem recipere.

167. Cum quis facultatem a superiore petit aliquo eundi, simul etiam ei aperiat, quo et cuius rei causa ire velit.

168. Fratres missi extra domum ad nulla loca vel domos accedant aut negotia quaecumque alia tractanda suscipiant, nisi quae specialiter illis commissa fuerint, et si quando casus aliter attulerit, in reditu fideliter superiori suo de hac re rationem reddant.

169. Cum quis iter faciens transit per locum, ubi Congregationis domus est, ad aliud hospitium ne divertat.

170. In ministeriis et servitiis praestandis extra domum, ne permaneant sine speciali permissione ultra tempus a superioribus statutum.

171. Litterae a fratribus mittendae et ad ipsos missae tradantur superioribus localibus, qui eas sua discretione legere poterunt. Qua facultate isti cum moderamine prudentiae et caritatis utantur, secreto servato.

172. A quacumque inspectione superiorum excipiuntur litterae ad Superiorem Generalem vel provincialem eiusque consiliarios, et ad S. Congregationem Religiosorum mittendae, vel ab istis ad fratres datae.

173. Silentium in locis orandi semper, in aliis locis a precibus vespertinis ad preces matutinas servandum est. Praeterea superiores locales possunt designare convenientia temporis intervalla et locum pro silentio diurno servando, discrete, ratione habita circumstantiarnm loci et naturae occupationum.

174. Quantum fieri potest, omnes communi recreationi interesse curent; tempore recreationis ne studio, lectura vel aliquo opere occupentur. Diebus festis vel occurrenti-

bus specialibus circumstantiis superior potest concedere aliquam recreationem extraordinariam.

175. Fratres, qui vigilantiae immediatae superiorum aliqua ratione pro tempore subtracti sunt, salvo decreto «Quemadmodum» — tenentur statutis temporibus rationem de observantia et de eis, quae agunt eorumque successu reddere; insuper omnes et singuli fratres ad id tenentur tempore annualium exercitiorum spiritualium et tempore visitationis.

176. Tempore prandii et coenae, ubi id fieri potest, ordinarie lectio fiat.

177. Semel in anno legendum est: tempore Quadragesimae decretum «Quemadmodum», — tempore Octavae Corporis Christi decretum «Sacra Tridentina», — tempore Adventus decreta «Auctis admodum» et «Romani Pontifices».

178. Constitutiones bis intra annum a quovis fratre perlegantur.

179. Vespere statuta hora ianuae domus occludendae sunt, et clavis apud ianitorem servanda est.

CAPUT XVI.

De mediis ad finem specialem assequendum.

180. Occupationes fratrum seu opera altera erunt quibus directe specialis Instituti scopus adimpletur, ut scientiae profectus, aliorum instructio, cura et labor circa salutem et perfectionem proximorum; altera vero, quibus cuiuscunque domus necessitatibus providetur.

181. Ad quodlibet munus et ministerium obeundum, fratres praevio labore sollicite et diligenter se praeparent

et exerceant; atque cuilibet operi adimplendo gloriam Dei prae oculis habentes totos se tradant, tamen sine orationis, devotionis necnon corporis sanitatis detrimento.

182. Cum aliquis frater nimio labore se oneratum esse vel ob multitudinem occupationum se sua devotionis officia rite adimplere non posse senserit, id superioribus suis candide et sincere fateatur.

183. Omnes quamdiu corpore valent, tam in spiritualibus quam in exterioribus rebus, quisque pro suarum virium et ingenii, artis et muneris ratione atque superiorum dispositione, habeant in quo occupentur.

184. Ne fratres qui ad id destinati sunt corporis vel manuum operam spernant, immo vero etiam illi, qui ordinarie spiritualibus operibus vacant lubentes, cum a superioribus id dispositum est, ea ad peragendum suscipiant.

185. Scientiae necessariae comparandae vel alicui arti addiscendae omni studio incumbant; neve postquam studia absolverint, ulteriorem, quisque pro suo officio, suae mentis culturam unquam neglexerint.

186. Qui pollent ingenio, cum superiorum approbatione, peculiarem aliquam artem, disciplinam vel quaestionem scientificam penitus tractandam ad maiorem Dei gloriam et proximorum utilitatem suscipere poterunt; attendendo tamen ad universale Instituti bonum.

187. Curent superiores in quavis domo, quantum fieri potest, erigendam bibliothecam communi usui aptam, quae unius e fratribus vigilantiae committatur.

188. Tum in suis scriptis, tum in disciplinis tradendis fidei orthodoxiae et puritati omni cura et diligentia studeant; probatos autores sequantur et Sanctae Sedis decisionibus et monitis in omnibus sese conforment.

189. Praeter alia de iure servanda, nemo scripta quaecumque praelo committat vel in publicum evulget, nisi post-

quam illa a delegatis ad id fratribus examinata et a superioribus approbata fuerint.

190. Maximam dabunt operam, ut instructio in suis scholis et institutis fiat summa cum diligentia, cum rei cognitione et peritia, accurate, secundum praescripta programmata et praepositorum ordinationes, praecipue vero ut in catholicae religionis principiis fundetur.

191. Praeprimis curabunt suos alumnos in rebus fidei et morum instruere atque ad virtutum christianarum et pietatis exercitia eosdem adducere.

192. Tandem de licentia Ordinariorum loci et servatis de iure servandis praestent, quantum poterunt, iuvamen clero saeculari: tradentes doctrinam christianam, praedicantes verbum Dei, excipientes confessiones sacras, suscipientes dirigendas assotiationes catholicas et pia opera, dirigentes et tradentes exercitia spiritualia et alia id generis opera peragentes quae pro temporum et locorum ratione zelus et christiana caritas ad maiorem Dei gloriam et proximi salutem suggerent.

193. Fratres ad proximorum saluti inserviendum destinabuntur in eis nationibus, ad quas ipsi pertinent, nisi necessitates Instituti vel bonum Ecclesiae et gloria Dei aliud exigant.

194. Singuli fratres eius regionis, in qua resident et occupationibus vacant, bono intendant atque illius linguam addiscant, nisi forte eorum nativa, iudicio superiorum, illic esset sola necessaria ad sua officia obeunda.

195. Caveant sibi omnes fratres ab illo pravo affectu, quo ductae aliae de aliis nationibus quandoque sinistre sentire aut loqui solent; quinimo et bene sentire et christianae caritatis affectu diversas a sua nationes prosequi studeant; quapropter nemo sive nationales sive politicas res, quae animos dissociare possint, in colloqium inducat,

neve quis sive privatim sive publice in lites nationales vel politicas se immisceat.

CAPUT XVII.

De infirmis.

196. In omnibus domibus, in quibus commode fieri poterit, pars quaedam ad hoc apta reservetur pro infirmis curandis. Si id fieri non potest, curandum est, ut frater infirmus saltem ab aliis separetur.

197. Unus frater, caritate et aptitudine praecellens, curator infirmorum designetur, qui infirmis omnia obsequia et servitia praestet quibus indigent. Ipsius, una cum superiore domus, erit omnia necessaria alimenta et medicamenta infirmis subministrare et aliis eorum necessitatibus et commodis prospicere, neve parcatur expensis, etiamsi valentibus aliquid subducendum sit.

198. Qui male se praeter solitum senserit, id curatori infirmorum aut superiori candide referat. Nullus vero medicinam ullam accipiat vel medicum eligat vel consulat, nisi approbante id curatore infirmorum vel superiore.

199. Statim ac necessarium esse videbitur, medicus vocetur, et omnia secundum eius praescripta fiant.

200. Non minori cura etiam spiritualia alimenta infirmis praestentur. Hinc tempestive confessarius vocetur, et quidem ille quem infirmus, ultro interrogatus maluerit; et toties adsciscatur, quoties infirmus desiderat.

201. Pro S. Communione administranda acquiescendum est iudicio confessarii.

202. Ingravescente morbo, tum curator infirmorum, tum superior, curam habeant, ut etiam Viaticum et Sacra-

mentum extremae Unctionis tempore opportuno administretur infirmo.

203. Instante morte, unus e fratribus sacerdos, curam habeat iuvandi morientem, absolutionem ei impertiat et eius animam commendet, iuxta modum in Rituali descriptum.

CAPUT XVIII.

De suffragiis pro defunctis.

204. Post obitum cuiusque fratris in loco, ubi defunctus est vel ubi domicilium habuit, sex Missae pro eius anima celebrentur, quantum fieri potest die obitus, depositionis, die tertia, septima, trigesima post obitum et in anniversario; in ceteris vero domibus eiusdem provinciae pro eodem defuncto tres Missae dicantur; praeterea omnes fratres eiusdem provinciae pro defuncto per dimidium mensem ordinaria sua rosaria offerant.

205. In quavis Congregationis domo: bis in anno celebretur Missae sacrificium pro omnibus totius Congregationis fratribus defunctis;—semel in anno pro fratrum parentibus, cognatis et benefactoribus vivis et defunctis; et semel in anno—pro omnibus defunctis fidelibus.

206. Post mortem Summi Pontificis in omnibus domibus Congregationis et post mortem Episcopi in domibus suae dioeceseos offertur Missae sacrificium.

CAPUT XIX.

De dimittendis ab Instituto.

207. Ex postulatu ipse Superior Generalis candidatum dimittere potest, consilio habito cum magistro

novitiorum et eo fratre, sub cuius vigilantia postulans manebat.

208. Pro dimittendo novitio requiritur, ut Consilium Generale pluralitate votorum eum parum ad vitam in Congregatione ducendam idoneum esse agnoscat.

209. Pro dimittendo fratre votorum temporaneorum, nondum constituto in sacris ordinibus, graves requiruntur causae approbatae per maioren partem suffragiorum consilii generalis.

210. Inter causas, quae pro gravibus habentur hae erunt: si quis generatim contra votorum substantiam graviter deliquerit, veluti si obstinate obedientiam recuset; si contra morum honestatem gravius peccaverit; si contra paupertatis votum graviter deliquerit; pariter si quis contra Congregationem vel Superiores malas artes dolosque nectat; si quis calumnias et discordiam disseminans domus aut Congregationis pacem graviter turbet; si quis aperte Constitutiones Congregationis contemnat easque propter contemptum observare aperte negligat, vel aliud quodcumque grave crimen commiserit.

211. Incapacitas et ingenii tarditas ad studia peragenda pariter est causa sufficiens ad dimittendos praesertim eos fratres votorum temporaneorum qui ad sacros ordines praeparantur.

212. Antequam ad dimissionem fratris procedatur, correctionis media, quae in potestate Congregationis sunt, adhibeantur, veluti fraterna, caritatis plena admonitio et obsecratio, sacra recollectio, mutatio domus, impositio poenitentiarum et alia huiusmodi.

213. Infirma valetudo nunquam habeatur ut causa sufficiens ad dimittendum aliquem professum votorum perpetuorum. Quod vero attinet ad professum votorum temporaneorum, dimitti nec ipse debet, si infirmitatem con-

traxit in Congregatione post emissa vota; nec etiam ob infirmam valetudinem qua laborabat ante votorum emissionem, si superior sciens et volens eum nihilominus admisit ad primam professionem. Secus vero si frater superiorem deceperit malitiose occultando ante professionem morbum praeexistentem, unde ineptus reddatur ad Congregationis onera ferenda.

214. Quoties autem agatur de alumno dimittendo vota perpetua professo, aut votis temporaneis quidem adstricto sed simul in sacris Ordinibus constituto, requiritur culpa gravis, externa et publica, in qua ipse sit incorrigibilis.

215. Ut autem quis revera incorrigibilis habeatur, superior praemittere debet, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem;—quae incorrigibilitas a consilio generali probata esse debet per secreta suffragia.

216. Admonitione et correctione nihil proficiente, superior debet processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Congregationis religiosum exhibere valeat.

217. Quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, superior seu tribunal ex officio illi defensorem ex propria Congregatione constituere debebit.

218. Perpensa defensione, superior cum suo consilio sententiam dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congregationem Religiosorum a sententia prolata appellaverit, donec per eandem Sacram Congregationem definitivum iudicium prolatum non fuerit.

219. Quoties gravibus ex causis haec procedendi methodus servari non posse videatur, tunc recursus haberi

debeat ad Sacram Congregationem Religiosorum ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi modo summario.

220. Alumni votorum sive perpetuorum sive temporalium in sacris Ordinibus constituti, qui dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

221. Qui in sacris Ordinibus constituti et votis sive perpetuis sive temporalibus obstricti, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis sive perpetuis sive temporalibus dispensati fuerint, ex domo Instituti exire non debent, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint; secus suspensi manent ab exercitio susceptorum Ordinum.

222. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum temporalium in sacris Ordinibus constitutos, qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerint nuncupata.

223. Fratri a Congregatione recedenti vel dimisso omnis pecunia, omniaque bona quae ad Congregationem secum attulit sine fructibus tamen, in eo statu in quo habentur ex integro restituenda sunt.

224. Nemo a Congregatione recedens vel dimissus sui laboris in Congregatione retributionem exigere potest.

225. Ipsa dimissio fiat, quantum potest, maxima cum caritate; enixe commendatur fratribus, ut neque inter se neque cum aliis, sine iusta causa, de dimisso vel eo qui recessit a Congregatione colloquantur.

PARS SECUNDA.

De regimine et structura Instituti.

CAPUT I.

De suprema auctoritate in Congregatione.

226. Tota haec Congregatio cum omnibus suis membris praeprimis Summo Pontifici, Capiti Infallibili atque totius Ecclesiae Rectori, subditur.

227. Omni qua decet reverentia, tum omnibus generatim SS. Congregationum Romanarum decretis, tum specialiter eis quae statum religiosum respiciunt, obediet.

228. Dein Reverendissimorum loci Ordinariorum iurisdictioni subicitur ad praescriptum sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

229. Suprema vero auctoritas immediata et actualis in toto Instituto modo ordinario exercetur a Praeposito Generali cum suo Consilio, et modo extraordinario a Capitulo Generali.

CAPUT II.

De Capitulo Generali.

§ 1. Quando, quomodo, ubi Capitulum convocandum sit.

230. Capitulum generale ordinarium convocabitur quovis sexto anno ad electiones generales faciendas; — extra-

ordinarium vero quando propter mortem moderatoris generalis tempore sui officii secutam, vel eius resignationem vel depositionem necessarium evadit.

231. Tam in ordinario quam in extraordinario capitulo tum electiones necessariae perficiuntur, tum etiam de gravioribus totius Instituti negotiis tractatur.

232. Pro convocando capitulo generali extraordinario ex alia causa, quam supra n. 230 indicata, requiritur licentia Sacrae Congregationis.

233. Convocatio capituli per epistolam circularem fiet; quam, si agatur de ordinario capitulo, moderator generalis, si autem de extraordinario, vicarius scribet, et quidem tres menses ante incipiendum capitulum.

234. Locus, in quo celebrandum erit capitulum generale, designatur a superiore generali cum voto sui consilii.

§ 2. De Capituli Generalis membris.

235. In Capitulo Generali vocem activam et passivam hi habent:

a) Superior Generalis,

b) eius Consiliarii,

c) Secretarius Generalis,

d) Oeconomus Generalis.

Hi fratres membra Capituli congregati manent, etiamsi post electiones factas alii in eorum locum suffecti fuerint.

e) Fratres, qui antea officio superioris generalis functi sunt; exceptis eis, qui a suo officio depositi erant.

f) Omnes superiores domorum, in quibus saltem duodecim fratres tamquam de familia degunt; et insuper

g) unus delegatus a vocalibus huiusmodi domorum inter adstantes fratres votorum perpetuorum eligendus.

236. Fratres degentes in domibus minoribus uniantur proximioribus, ita ut numerum saltem duodecim compleant, et sic uniti eligant prius unum ex superioribus earundem domorum ac postea alium fratrem perpetuo professum ad Capitulum delegandos. Si vero domus minores valde inter se distent, tunc fratres vocales uniuscuiusque adeant viciniorem domum maiorem, et una cum illis fratribus, pari iure activo et passivo, in electione delegati partem habeant.

237. Vocem activam in hoc scrutinio pro eligendo delegato omnes fratres votorum etiam temporariorum habent; vocem autem passivam soli fratres votorum perpetuorum.

238. Electiones autem fiant per secreta suffragia et per numerum absolute maiorem suffragiorum. Si autem in primo et secundo scrutinio absolute maior pars suffragiorum in nullum ceciderit, in tertio scrutinio instituendo decidet relative maior numerus suffragiorum.

239. Si in hoc tertio scrutinio duo fratres aequalem numerum suffragiorum obtinerent, electus censeretur is qui prius altero vota emisit.

240. Idem valeret pro aliis electionibus, quotiescumque, in tertio scrutinio, aequalia suffragia haberentur, excepta tamen electione Superioris Generalis, de qua infra n. 254—256.

241. Praeterea eligatur, eodem modo, alius frater substituendus delegato electo, si forte iste legitime impediretur, quominus Capitulum adiret.

242. Ad validitatem actorum Capituli Generalis requiritur, ut saltem duae tertiae partes vocalium intersint.

243. Non licet fratribus manifestare sua suffragia sive inter Capitulum, sive ante, sive post illud. Licet tamen eis ante Capitulum secum deliberare, quinimo sessionem pro

electionibus habere, in qua merita et qualitates candidatorum ad officia eligendorum palam percenseatur, dummodo secum ne determinent electionem priusquam locum Capituli ineant.

244. Item non licet in suffragiis ferendis moveri respectibus humanis, personali amicitia vel aversione, eoque magis vetantur fratres sive promissionibus sive minationibus alios eligentes in suam partem flectere.

§ 3. De electionibus in Capitulo faciendis.

De praeside, de scrutatoribus, de secretario Capituli.

245. In Capitulo Generali praesidet Superior Generalis vel respective, in illius defectu, primus Assistens.

246. Ante Capitulum Generale celebratur Missa Sacra, —si ritus permittat, de Spiritu Sancto.

247. In Capitulo ordinario superior qui officio cadit, vicarii munere fungetur usque ad novas electiones rite perfectas.

248. In Capitulo ante omnia eligendi sunt ab et ex vocalibus duo scrutatores et unus secretarius.

249. Scrutatores in urna colligent schedas eligentium, coram praeside eas numerent, et cum numero eligentium conferant; si huic numero respondent, eas explicent, et alta voce coram omnibus legant.

250. Secretarius omnia Capituli acta, tum electionum, tum negotiorum, fideliter in scripta redigat.

251. Omnia capituli negotia per secreta suffragia definiuntur. Electiones nonnisi per schedas vocalium praesentium fieri possunt.

252. Si in ipsa domo adsit vocalis infirmus, qui ad

aulam capitularem se conferre nequeat, cum tamen scribere possit, duo scrutatores eum adeant, ut illius schedam in urna clausam suscipiant et ceteris uniant.

§ 4. De electione et reelectione Superioris Generalis.

253. Primo eligendus est Superior Generalis. Superior Generalis eligi non potest nisi frater qui sit sacerdos, non minus quadraginta neque amplius sexaginta quinque annos natus, et qui a quinque saltem annis vota perpetua emiserit.

254. Pro eo eligendo requiritur absolute maior pars suffragiorum, hoc est, numerus medietatem omnium suffragiorum excedens.

255. Si in primo scrutinio nullus frater talem numerum suffragiorum sortiatur, instituatur secundum scrutinium et, etiam illo frustra peracto, tertium.

256. Si autem tertium scrutinium optatum effectum non obtinuerit, hac vice electio devoluta est ad S. Congregationem Religiosorum, ad quam acta electionis factae fideliter conscripta statim mittantur. Quo facto, ipsum Capitulum suspendatur.

257. Superior Generalis, primo sexennio elapso, iterum eligi potest pro secundo sexennio. Quo vero ad tertium sexennium continuo eligi possit, necesse est, ut ex tribus partibus omnium suffragiorum saltem duas obtineat, et confirmatio S. Sedis accedat. Antequam haec confirmatio obtineatur, praepositus reelectus fungitur munere vicarii.

258. Electionem rite factam praesidens legitimam declarat et promulgat; quo facto schedae statim comburuntur; fratres autem electo Superiori obsequium praestant eius manum dexteram deoscultantes.

259. Si suffragia sortitus sit frater qui non habet praescriptas conditiones sive quoad aetatem sive quoad annorum numerum a professione votorum perpetuorum, — is non potest immitti in munus et eius possessionem capere, antequam confirmationem S. Congregationis obtinuerit. Interea Capitulum interrumpitur et pristinus superior tamquam vicarius regimen Instituti exercet.

§ 5. *De electione Consiliariorum*, Secretarii *et Oeconomi Generalis.*

260. Post electum moderatorem generalem ad eligendos, distinctis scrutiniis, fratres Consiliarios, necnon Secretarium generalem et Oeconomum generalem proceditur.

261. Ad haec munera nullus frater eligi potest, qui non habeat saltem triginta quinque annos aetatis, et vota perpetua non emiserit; insuper pro primo Assistente requiritur, ut sit sacerdos.

262. Pro officio Secretarii generalis etiam unus ex Consiliariis eligi potest, dummodo non sit primus.

263. Modus autem quo eliguntur, idem est ac ille, qui pro eligendo moderatore generali statutus est, hac sola differentia, quod, si neque in primo, neque in secundo scrutinio absolute maior pars suffragiorum obtineatur, in tertio scrutinio decidet suffragium relative maioris partis eligentium.

264. Ille ex Consiliariis qui primo eligitur, vicarius moderatoris generalis erit, eius nempe vices geret quoties hic a domo principe aberit, vel impeditus fuerit, vel quocumque modo officio suo excidat.

265. Quod si frater, ad aliquod officium electus, se illud suscipere non posse opinetur, rationes huius rei eli-

gentibus exponet; quas si hi ratas habere renuerint, ille officium sibi demandandum suscipiat oportet.

266. Postquam praeses Capituli etiam has electiones legitime factas declaravit et promulgavit, eius munus finem obtinet.

267. Fratres sic electi in suo quisque officio manent usque ad proximum Capitulum, nec deponi possunt nisi ex gravi causa, et a solo Consilio Generali.

268. Sed Assistentis Generalis depositio a S. Sede confirmari debet.

269. Electionibus peractis, pro gratiarum actione hymnus «*Te Deum*» dicitur; quo facto novo-electus Superior Generalis facit professionem fidei et praestat iuramentum de Congregationis bono promovendo et disciplina tuenda.

§ 6. De negotiis in Capitulo absolvendis.

270. In Capitulo, factis electionibus, etiam de gravioribus negotiis, quae universum spectant Institutum, tractatur. Definiuntur autem haec negotia per absolute maiorem partem suffragiorum secretorum.

271. Huiusmodi deliberationes diriguntur a novo Moderatore Generali. Quapropter si talis frater electus fuerit, qui in Capitulo praesens non erat, statim vocetur, et negotia differantur usque dum venerit.

272. Quod si forsitan etiam quidam ex electis Consiliariis, vel Secretarius, aut Oeconomus recens electus in Capitulo praesentes non sint, invitentur utique statim, quin tamen Capitulum interrumpatur, vel differantur negotia pertractanda usque ad eorum adventum.

273. Capitulum ex suo gremio potest speciales commissiones seu collegia eligere eisque varia negotia expe-

dienda, proposita fratrum perpendenda vel nova elaboranda committere.

274. Capitulum Generale producitur ad tempus necessarium pro electionibus celebrandis et pro aliis Instituti gravioribus negotiis absolvendis

275. Ordinationes Capituli Generalis in vigore manent usque ad proximum Capitulum, in quo illae novae revisioni subiciantur.

276. Si Capitulum generale in Constitutionibus a Sancta sede approbatis aliquid addere vel demere, innovare vel transformare necessarium esse statuerit vel earundem Constitutionum authenticam interpretationem dare voluerit, id facere non poterit, nisi accedente eorum, quae statuta sunt, confirmatione Sanctae Sedis.

CAPUT III.

De Moderatore Generali.

§ 1. De auctoritate qua gaudet.

277. Moderator Generalis, rite electus, gubernat et administrat universum Institutum, iis tamen servatis quaecumque ex Instituti Constitutionibus pontificiisque decretis servare oportet.

278. Moderator Generalis cum suis Consiliariis sedem figat in ea domo quae regimini aptior censetur. Quae domus inde tamquam caput vel centrum totius Instituti considerabitur. In aliam domum Moderator Generalis sedem suam perpetuo transferre non potest absque licentia S. Sedis.

279. Ius habet, ad normam Constitutionum demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam

sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur; proindeque ex una in aliam domum mittendi, — certiore hac de re facto earundem domorum superiore.

280. Cum Superior Generalis aliquem fratrem quocumque extra Congregationis domos ad aliqua ministeria vel negotia peragenda mittit, sive per se sive per alium plane eum instruat de modo et ratione agendi procedendique atque per crebram litterarum communicationem sive per se sive alium eum dirigat atque ab eo relationes accipiat.

281. Moderator Generalis totum Institutum sive per se, sive per alium fratrem ad hoc delegatum singulis triennis, vel etiam pluries, si opus fuerit, visitabit.

282. Si agitur de visitatore deligendo pro aliqua domo vel pro particulari negotio, in potestate solius Moderatoris Generalis est, eum ex fratribus votorum perpetuorum designare. Si vero visitator generalis pro toto Instituto deputandus est, Moderator Generalis in eo designando votum decisivum fratrum sibi a consiliis adhibere debet, si eum extra gremium ipsius Consilii eligere velit; debet autem semper eligi frater votorum perpetuorum.

283. Quovis triennio Moderator Generalis de statu Instituti disciplinari, materiali, personali et oeconomico ad S. Congregationem referat.

284. Administrationi bonorum temporalium iuxta infra dicenda cap. VII accurate invigilet, quin tamen in officia et munera sive Oeconomi Generalis sive moderatorum domorum directe se ingerat.

285. Superior libenter a consiliariis de eis, quae ad suam personam et officium pertinent, admoneri patiatur.

286. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti collegia, scholae, asyla pueris erudiendis: episcopali vigilantiae ea omnia subsunt quod spectat ad reli-

gionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutis eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

287. Episcopis cuiusque dioecesis ius est, invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum Poenitentiae, de iisque opportune statuendi iubendi.

§ 2. De eis quae Moderatori Generali non licent.

288. Moderator Generalis non potest esse simul superior localis.

289. Interpretationem authenticam Constitutionum dare non potest, nec etiam additiones, mutationes vel derogationes sancire.

290. Moderatori Generali non competit facultas super Constitutionibus generaliter dispensandi: bene tamen conceditur illi auctoritas eximendi ab observatione alicuius praescriptionis Constitutionum particulares fratres ad tempus, in eis, quae essentiam votorum non attingunt.

291. Non potest sibi constituere ad libitum vicarium, eique delegare suas facultates, cum ipsae Constitutiones statuant, quinam frater et in quibusnam casibus eius vices gerere debeat.

292. Nec etiam pro arbitrio fratribus vocem activam et passivam concedere aut subtrahere potest, cum in ipsis Constitutionibus determinatum sit quinam fratres talibus iuribus gaudeant.

§ 3. De depositione et renuntiatione Moderatoris Generalis.

293. Si necessarium videretur, Moderatorem Generalem officio et auctoritate privare, fratres a consilio rem

ad S. Congregationem deferant eiusque decisioni submittant.

294. Si Moderator Generalis sentiret se debere a supremo munere sese abdicare, rationes suas S. Congregationi exponat, cuius erit abdicationem admittere vel secus.

CAPUT IV.

De Consilio Moderatoris Generalis.

295. Fratres Moderatori Generali a consiliis in rebus maioris momenti suffragium decisivum habent. Huiusmodi negotia sunt praecipue sequentia:

1) Admissio ad novitiatum et ad votorum professionem emittendam sive temporariam sive perpetuam.

2) Erectio novarum domorum.

3) Suppressio domorum existentium.

4) Erectio novorum novitiatuum et translatio existentium novitiatuum ex uno in alium locum.

5) Erectio novarum provinciarum.

6) Nominatio fratrum pro maioribus quibusdam officiis, videlicet: moderatorum localium, magistri novitiorum eiusque socii.

7) Prorogatio officii moderatoris alicuius domus, si qua necessaria videretur ad breve tempus, elapso eius triennio; vel approbatio eius, si id necessarium videtur, pro altero triennio.

8) Dimissio ab Instituto sive novitii, sive fratris votis temporariis vel perpetuis ligati.

9. Depositio alicuius fratris a consiliis; sive magistri novitiorum, sive secretarii generalis, oeconomi generalis,

socii magistri novitiorum, sive superioris localis, si ex gravi causa necessaria videretur.

10) Designatio visitatoris generalis qui non sit e numero Consiliariorum, ad effectum visitandi universum Institutum.

11) Determinatio loci Capituli generalis.

12) Mutatio sive translatio sedis Moderatoris Generalis et eius Consilii.

13) Substitutio alterius fratris usque ad proximum Capitulum in locum fratris a consiliis demortui, sive depositi, sive perpetuo impediti.

14) Pacta nomine Instituti facienda et rationes iuxta infra dicenda redditae sive domorum singularum sive totius Instituti approbandae.

15) Debita contrahenda iuxta infra cap. VII dicenda.

16) Rerum immobilium et mobilium pretiosarum alienatio et etiam oppignoratio.

296. Pro negotiis n. 2 relatis requiritur consensus Ordinarii; pro iis autem, quae numeris 3, 4, 5, 12, 16 et pro dimittendo fratre perpetuo professo, vel etiam temporariorum votorum sed constituto in sacris, approbatio S. Congregationis exigitur.

297. Suffragia super huiusmodi negotiis semper secreta sint oportet; etiam in aliis casibus secreta sint suffragia opus est, si id saltem unus ex fratribus a consiliis postulat.

298. Si quando in huiusmodi negotiis excutiendis suffragia secreta fratrum hinc inde aequalia penderent, suffragium Moderatoris Generalis praevalet atque rem dirimit.

299. Secus vero in electionibus. Electiones nunquam fient nisi in Consilio pleno; quod si quandoque unus ex Consiliariis partem habere non possit in aliqua electione instituenda, in eius locum vocetur moderator domus; et si

adhuc alter desit, in eius locum unus ex fratribus votorum perpetuorum domus a Consiliariis eligatur.

300. Si secretarius non est ex ipso gremio Consilii, in eo suffragium non habet nisi consultivum; pariter non habent nisi consultivum suffragium Oeconomus et Magister novitiorum, si participes sunt consilii, cum de negotiis eorum officia spectantibus agitur.

301. Negotia in Consilio ea ratione pertractentur, ut consiliariis plena concedatur libertas proferendi, quid sentiant; quapropter, generatim loquendo, prudens erit, quod si superior exposita re, quod maximum est, indicatis rationibus «pro» et «contra», a declaranda sua sententia se abstineat, antequam Consiliariorum sententias usque ad finem audierit.

302. Praeter consiliarios etiam alii fratres in rebus de quibus fit consultatio periti in consilium cum voce consultiva vocari poterunt; qui si absentes sint, curari potest, ut saltem per litteras suam sententiam de illis rebus mittant.

303. Superior ostendat consiliariis litteras, scripta et documenta, quae pertinent ad rem, de qua est deliberatio, ut hi bene informati rectam de rebus sententiam ferre possint.

304. Consilium congrediatur semel in mense; praeterea toties, quoties Instituti negotia id exigant.

305. Processus verbales et acta consiliorum conscribantur a Secretario generali, qui ea post Moderatorem Generalem subscribat.

CAPUT V.

De fratribus a Consiliis.

306. Fratres a consiliis penes Moderatorem Generalem in domo principe residere debent; in casu autem ne-

cessitatis duo ex illis extra illam domum degere possunt, dummodo tamen, quotiescunque opus fuerit, praesentes esse et consilio intervenire facile possint.

307. Fratribus a consiliis alia officia, quae praecipui eorum muneris exercitium praepedirent, committi non debent.

308. Ille ex fratribus a consiliis, qui primo loco in Capitulo electus fuit, Moderatoris Generalis Vicarius est: illiusque sive mortui, sive amoti, sive absentis, sive impediti in omnibus vices gerit.

309. Munus fratrum a consiliis est, Moderatori Generali in regendo et administrando toto Instituto consilium et auxilium, prout requisiti ab ipso fuerint, praestare, necnon suffragium decisivum ferre circa negotia graviora et electiones, prout cap. IV dictum est, eaque proponere, quae sibi a re Instituti esse videantur.

310. Consiliarii item superioris necessitatibus prospiciant eumque cum debita modestia et humilitate de eis quae tum ad suam personam tum ad suum officium pertinent, cum id in Domino necessarium esse videbitur, admoneant.

311. Fratres a consiliis circa omnia negotia, quae sive in consilio sive extra eorum fidei commissa sunt, secretum diligenter servent. Quod si violent, serio admoneantur, et si iterum atque iterum in hoc deliquerint, pro gravitate culpae, ex rerum et personarum adiunctis diiudicanda, puniantur.

CAPUT VI.

De Secretario Generali.

312. Secretarii Generalis est, omnia documenta et acta, historiam et administrationem Instituti concernentia, dili-

genter asservare, exceptis eis quae negotia oeconomica spectant.

313. Muneris eius etiam est, iussu Moderatoris Generalis et huius nomine, epistolas actaque omnia conscribere, quae ad negotia Instituti spectant.

314. Dabit ille fratribus a consiliis necessarias explicationes circa omnia, quae in archivo asservantur et ad negotia in Consilio tractanda spectant.

315. Secretarius circa omnia negotia, quae sive in Consilio sive extra eius fidei sunt commissa, altissimum secretum servabit.

CAPUT VII.

De Oeconomo Generali et de administratione bonorum temporalium.

316. Bona, quibus Institutum gaudet, alia possidentur et administrantur a toto Instituto, alia a singulis domibus.

317. Omnia bona immobilia et mobilia totius Instituti qua talis administrantur ab Oeconomo Generali sub dependentia a Moderatore Generali eiusque Consilio.

318. Cum Oeconomus Consilii Generalis iussa exequi illique rationem reddere debeat, ipse non erit e numero fratrum a consiliis, ne iudex evadat in propria causa. In omnibus autem quae administrationem concernunt, in Consilium vocetur, ut documenta necessaria et consilia opportuna dare possit.

319. In domo, in qua Moderator Generalis residet, habeatur in loco tuto arca seu capsa, tribus diversis clavibus clausa, quarum unam habeat Superior Generalis, secundam primus ex consiliariis et tertiam ipse Oeconomus.

320. In hac capsa asserventur quicunque tituli proprietatis, et syngraphae quae aequivalent pecuniae, ipsamque repraesentant, aut quae ius dant ad certos fructus vel redditus percipiendos; nec non illae numeratae pecuniae summae quae pro expensis ordinariis seu quotidianis non requiruntur.

321. Quoties haec capsa aperienda et claudenda est, tres fratres quibus claves commissae sunt, in unum conveniant, neque unquam unus alteri ex depositariis suam clavem tradat adhibendam, sed potius, instante necessitate, alium fratrem, praesertim ex consiliariis, deleget, eidem credendo propriam clavem quamprimum restituendam.

322. Oeoconomus Generalis accurate adnotat omnia, quae in hac arca reponuntur, et quae ex ea extrahuntur.

323. In fine cuiuslibet sexti mensis Oeconomus generalis Moderatori Instituti rationem reddat totius administrationis, exhibitis libris a se conscriptis; qui ab ipso et a fratribus a consiliis examinentur, et si, collatis etiam cum eis pecunia, ceterisque in arca existentibus, exacte conscripti reperiuntur, subscriptis nominibus approbentur.

324. Eodem plane modo etiam in singulis domibus bona communia asserventur et administrentur.

325. Moderatores locales domorum quovis mense cum suis consiliariis modo supra indicato (n. 323) capsam communem et libros ab Oeconomo locali conscriptos examinent et approbent, ac in fine cuiusvis sexti mensis Moderatori Generali rationem reddant.

326. Quaelibet domus, copia rerum abundans, quotannis ex eo quod in fine anni, rationibus consolidatis, et omnibus deductis expensis, superest pecuniae, tertiam partem tradat arcae Instituti.

327. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam:

horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito Sodalitii universi liceat quidnam ex eis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendere potest; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

328. Moderator, sive generalis, sive provincialis, sive localis, nulla debita notabilia contrahat, nullasque notabiles obligationes oeconomicas suscipiat, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere redituum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum, oretenus vel aliter:

a) absque praevio consensu Consilii Generalis, si agatur de curia generali aut de domibus immediate directioni curiae generalis subiectis;

b) vel absque praevio consensu Consilii Provincialis, et expressa licentia Moderatoris Generalis, accedente voto deliberativo Consilii Generalis, si agatur de debitis vel obligationibus a superioribus provincialibus contrahendis seu suscipiendis;

c) vel absque praevio consensu Consilii localis domus, et expressa licentia Moderatoris Generalis eiusque Consilii.

329. In debitis vel in obligationibus oeconomicis contrahendis, habenda est notabilis quantitas, quae superat 500 libellos, nec attingit 1,000, si agatur de domibus singulis; quae superat 1,000 libellos, nec attingit 5,000, si agatur de provinciis; quae superat 5,000 libellos, si de curia generali. Quod si domus, provincia vel curia generalis debita vel obligationes contrahere intendat, quae valorem 10,000 libellorum excedant, praeter licentiam, respectivi Consilii, ut supra, requiritur beneplacitum Apostolicum.

330. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quae quomodolibet contrahantur, summam respectivam in praecedenti articulo expressam superare; sed omnia et singula debita omnesque et singulae obligationes, quomodolibet contractae, semper coalescunt. Ideoque nullae omnino erunt licentiae ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligationes nondum extincta sint.

331. Suffragia, de quibus agitur in articulo 328, toties quoties exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultiva; licentiae autem, virtute suffragiorum concessae, nunquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero Consilii subscribantur tum a Moderatore tum a singulis Consiliariis.

332. Graviter oneratur moderatorum conscientia, ne per se vel per oeconomum, vel aliter, consiliariis occultent, ex toto vel parte, bona quaecumque, redditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint moderatori intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et approbationi Consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel oeconomiam respicientia, pariter consiliariis examinanda tradantur.

333. Nulla fundatio domus, nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomicae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum, vel aliqua pars aedificii gratuito donetur, vel construatur; nec sufficit promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae.

334. Ut pecuniae, reditus aliique proventus legitime

collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum Consilii, toties quoties exquirendum, exhibitis consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investimenti mutatione, servatis aliis de iure servandis.

335. Fundus, legata et alia quaecumque bona, quae quomodolibet Missas adnexas habent, eorumque fructus vel redditus nullo pacto debitis vel obligationibus oeconomicis cuiuscunque conditionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt; et pecuniae pro Missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto, nullaque de causa, neque ex toto, neque ex parte expendi possunt sed integra servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum moderatores, tum consiliarii.

336. Donationes, etiam titulo eleemosynae vel subsidii, non fiant, nisi iuxta conditiones a Sancta Sede praescriptas, et iuxta mensuram a Capitulis, vel in casibus extraordinariis a superioribus cnm respectivis consiliis legitime determinatam.

337. Moderator Generalis in fine sui officii Capitulo generali accuratam rationem reddat administrationis bonorum communium tempore sui regiminis gestae, necnon status oeconomici totius Instituti: porro tabulae redditionis rationum conficientur ab oeconomo generali et, ante Capitulum, a Consilio generali cognoscentur. Eligantur autem ex capitularibus tres fratres qui membra consilii non fuerunt: eorum erit omnia examinare et postea ad Capitulum referre.

CAPUT VIII.

De Magistro novitiorum.

338. Magister novitiorum eligitur a Moderatore Generali et eius Consiliariis.

339. Eligatur autem oportet frater, qui tum verbo tum exemplo novitios in officiis sui status feliciter instruere valeat. Oportet autem, ut sit sacerdos, ut in quinto saltem supra trigesimum anno suae aetatis constitutus sit et a decennio saltem vota emiserit.

340. Officio suo per triennium fungitur neque antea ab eo deponi potest nisi de gravibus causis, de quibus Consilium decernit. Elapso vero triennio potest ille semper in suo officio confirmari.

341. Magister novitiorum nullis aliis officiis vel muneribus oneretur, quae novitiorum curam vel regimen impedire possent; propterea neque etiam superior, neque consiliarius esse potest. Quoties autem in Consilio generali de novitiis vel de novitiatu agendum est, Magister vocetur, qui mentem suam de tali negotio aperiat et opportunas informationes subministret.

342. In casu necessitatis, Consilium generale addet ei socium sacerdotem, qui trigesimum saltem annum attigerit et a quinquennio votis ligatus sit.

CAPUT IX.

De Provinciis.

343. Statim ac Institutum tantopere diffusum erit, ut plures Novitiatus requirantur, et regimen per unum mo-

deratoren solum difficilius evadat, vel si aliae graves rationes id exigant, illud in provincias dividatur.

344. Haec tamem divisio Instituti in provincias necnon novarum postea provinciarum erectio, fieri non poterit absque auctoritate Sanctae Sedis.

345. Cum provinciae erunt erigendae, leges, iuxta quas illae administrentur atque regantur componantur a Superiore Generali cum suis Consiliariis, qui etiam earum approbationem a Sancta Sede expetant.

CAPUT X.

De domibus earumque Moderatoribus.

346. Ut nova domus erigi possit, requiruntur conveniens fratrum numerus, facultates subsidiaque sufficientia ad sese sustentandum et ad disciplinae observantiam stabiliendam, tum consensus Consilii Generalis et expressus assensus Episcopi.

347. Requiritur quoque Episcopi permissio pro erigenda nova ecclesia, pro aperiendo novo oratorio seu publico seu semipublico, pro sacro faciendo in domesticis sacellis, pro exponendo publicae venerationi fidelium augusto Sacramento, pro solemnibus et supplicationibus publicis peragendis.

348. Quamque domum gubernat Moderator localis, qui a Moderatore Generali cum consensu suorum consiliariorum ex professis votorum perpetuorum ad tres annos instituitur; quibus elapsis ex gravi causa eodem modo ad aliud triennium confirmari poterit; non autem tertia vice pro eadem domo; quod quidem fieri non potest, nisi gravi ex causa atque cum consensu Sanctae Sedis.

349. Deficientlbus vero fratribus votorum perpetuorum

in domibus ubi plus quam tres fratres participantes non vivunt, assignari poterunt ut praepositi etiam fratres votorum temporariorum, sed tunc tum quoad durationem officii sui, tum quoad suae potestatis terminos in omnibus a Moderatore Generali eiusque Consilio pendebunt.

350. Superior localis suo officio fungitur, usque ad novi superioris adventum, si hic ad tempus non venerit, atque usque ad novam sui officii confirmationem a Consilio Generali et, cum ius id requirit, ad obtentam S. Sedis licentiam.

351. Durante ipsorum officio superiores domorum neque deponi neque alio transferri poterunt, nisi ex gravi causa, accedente suffragio decisivo fratrum a consiliis.

352. Moderator domus in regimine suo iuvatur a duobus consiliariis, qui a Moderatore Generali nominantur, quorum primus erit moderatoris domus vicarius. Uterque consiliarius una cum moderatore habent in consilio votum decisivum.

353. Superiores locales cum suis consiliariis singulis mensibus deliberationem habebunt de disciplinae observatione, de negotiorum et operum cura et gestione deque domus gubernatione. In peragendo consilio observanda sunt ea, quae supra nn. 301 et 302 sunt dicta.

354. Cum ordinationes aliquas communes a Generali praeposito acceperit, illas suis consiliariis manifestet.

355. Superiores locales quovis tertio mense per litteras deferant ad Moderatorem Generalem de disciplina, de operibus, quae peraguntur, de negotiis domus, neque ullam maioris momenti rem gerendam suscipiant sine eius licentia vel scitu.

356. Fratres vero a consilio de omnibus, quae domum administrandam spectant, quovis semestri referant.

357. Antequam de aliqua maioris momenti re susci-

pienda ad Moderatorem Generalem superior localis deferat, prius de eadem re una cum suis consiliariis deliberet; atque diversas, quae prolatae fuerunt, de eadem re sententias in litteris ad Moderatorem Generalem fideliter exponat.

358. Varia munera et officia in domo, fratribus committuntur ab ipso moderatore domus cum suis consiliariis. Eidem fratri concredi possunt duo vel plura officia, si ea commode inter se componi valeant.

359. Superior subditorum necessitatibus non corporis tantum, sed multo magis animae, paterno affectu prospiciat.

360. Singulis hebdomadibus vel saltem altera quaque hebdomade ipse per se vel per alium qui, rationem Instituti bene teneat, exhortationem suis fratribus faciat.

361. Quivis frater in rebus animae et corporis semper potest exquirere Moderatoris Generalis eiusque Assistentium consilium, praesertim si moderator localis eidem remedium affere non valeat.

362. Unius cuiusque domus bona, sive immobilia, sive mobilia, ab oeconomo locali secundum normas cap. VII traditas administrentur, sub dependentia a Moderatore Generali eiusque Consilio. Moderator domus munere oeconomi ne fungatur. Si specialis oeconomus haberi non potest, eius officium exequitur unus ex consiliariis.

363. Si domus filialis proprietate immobili gaudet, moderator localis nonnisi eas restaurationes perficere valet, quarum expensae non superant summam a Consilio Generali praefinitam; maiores expensae decidantur a Moderatore Generali eiusque Consilio.

364. Moderator domus super Constitutionum observantia invigilare debet; verum in casibus particularibus fratres quosdam ab observantia alicuius articuli Constitutionum eximere potest.

CAPUT XI.

De Sacrista et Janitore.

365. Sacristae officium est: sustentare perpetuum lumen in lampade coram Sanctisimo Sacramento, servare ordinem munditiemque in ecclesia, in oratorio et in sacristia, linteamina et vestes sacras servare integras mundasque et praeparare ante adventum sacerdotum omnia, quae ad sacra necessaria sunt.

366. Janitor custodire ianuam tenetur, ne quis domum illegitime ingrediatur; personas exteras ne admittat nisi in locum a superiore assignatum; de omnibus personis domum advenientibus moderatori, vel fratri ab eo designato, referat; si vero quis aliquem fratrem alloqui desiderat, illum de eo immediate certiorem reddat; epistolae et aliae res, quae in domum afferuntur, tradantur moderatori vel fratri ad hoc designato; antequam cubitum eat, circuire debet ianitor omnia domus ostia et ianuam claudere.

CAPUT XII.

De ipsis Constitutionibus.

367. Hae Constitutiones per se non obligant sub reatu culpae; sed commendant solummodo quandam satisfactionem seu poenitentiam pro earum transgressione; minime tamen a culpa excusari potest frater, qui transgrederetur Constitutiones ex contemptu, vel in materia quae contraria esset sive votis, sive praeceptis Dei vel Ecclesiae.

368. Contendendum tamen fratribus est, ut has Constitutiones fideliter observent; quoniam haec fidelitas una

ex praecipuis causis est, cur omnis Congregatio crescat floreatque. Quapropter non tam timor peccati vel poenae, quam potius caritas erga D. N. Jesum Christum et propriam Congregationem adpellat fratres ad fidelem harum Constitutionum observantiam.

369. Cuilibet fratri praesto sit quovis tempore exemplar Constitutionum.

370. Non licet sine speciali Moderatoris permissione dare has Constitutiones ad legendum extraneis personis.
